



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

lam, sed à quo sunt, eius etiam esse, ei que obsequi debere, & in eum rursus fluere, & in seipsis, hoc est in sua ipsitate, ad nihilum redigi.

CAPVT XLIX.

Hic rursus quiddam animad- *Volūta*
uertendū est, præsertim de vo- *tem cu*
lūtate. Volūtas æterna, quæ in Deo, *Deus*
origine & essentia sine vlllo opere *creaue-*
aut actione est, eadem voluntas est *rit.*
in homine, cæterisq; animantibus,
agens atque volens. Nam volunta-
tis natura & proprium est, velle.
Quid enim aliud agat? Nequicquā
enim esset, si nullam actionem ha-
beret. Atqui non potest id fieri sine
animalibus. Itaque animalia esse o-
portet, ea que vult habere Deus, vt
hæc voluntas, suum ipsius opus in
eis habeat & faciat: quæ alioquin in
Deo sine opere est, & non esse non
potest. Itaque est voluntas in ani-
malibus (quæ creata voluntas appel-
latur) non minùs Dei, quàm æterna
voluntas, non animalium. Et quia
Deus sine animalibus, cum actione
& motu velle non potest: propterea
vult id facere in animalibus, & cū

T H E O L O G I A

animalibus . Quapropter debent animalia hac ipsa volūtate nihil velle : sed Deus debet & vult actione velle cum voluntate , quæ in homine est, & tamen Dei est. Quod si ubi, aut si quo in homine inesset hoc planè atq; omnino, nihil esset quod vellet homo, sed Deus: non esset inquam ibi voluntas , propria voluntas: nec aliter vellet is homo, quàm quomodò vult Deus . Vellet enim ibi Deus, non homo, essetque ibi voluntas eadem cum æterna voluntate, & in eam influxisset: & in homine esset & maneret amor atque dolor, voluptas & cruciatus, & similia. Nam ubi voluntas volenter vult, ibi est amor aut dolor. Quandoque fiunt, quæ vult volūtas, adest amor: si fiunt alia quàm quæ velit voluntas, adest dolor : atque hic amor & dolor, non hominis est, sed Dei. cuius enim voluntas est , eiusdem est & amor atque dolor. Atqui non est ea voluntas hominis , sed Dei. Itaque eiusdem est etiam amor atque dolor: nec ibi quicquam culpatur, nisi duntaxat quod contra Deū est: nec item vlla ibi adest lætitia , nisi
dun-

duntaxat à Deo , & ab eo quod Dei est, Dei que proprium est.

Igitur quæ ratio est voluntatis, eadem est etiam cognitionis, rationis, potestatis, amoris, & omnium, quæ insunt in homine : vt sint vniuersa Dei, non hominis. Quod sicubi contingeret voluntatem omninò relinquere, alia etiam prorsum relinquerentur : atque ita Deus omnia sua obtineret, & voluntas non esset propria voluntas . Sic creauit Deus uoluntatem , sed non vt esset propria.

CAPVT L.

Nunc venit diabolus & Adamus, hoc est falsa natura, sibi que uendicat hanc voluntatem, & propriam reddit : & ea ad suam & suorum utilitatem fruitur. Atq; hoc est damnum illud, & iniuria . Hic inquam morsus est, quo momordit Adamus malum : id quod vetitum, Deoque contrarium est . ac quamdiu, & ubi propria voluntas est, ibi nunquam est vera quies: (id quod videre licet tum in homine, tum in diabolo:) nec item vera felicitas ibi unquam certè adest, nec in hac vita,

Propria voluntas hominem reddit inquietum.